

plō omnibus, qui Mercurialibus Artibus humanæ beatitudinis culmen conscendunt, ne suis Viribus secundiorum votorum suorum Cursum acceptum ferant, sed Deo; Deo, quem nos causam illam Gentilibus incognitam novimus, quem omnium rerum & Rectorem scimus, & Datorem.

XIII.

VENUS.



Veneri Formam, Voluptatem & Generationem subjectam, Gentiles crediderunt. Quæ formam hominibus impertit; Quæ voluptatis sensum creavit; Quæ generationem curat, Gratiolâ Dei Potentia est. Gentiles majus quid humanis viribus suspicabantur, quod tantâ dulcedine, tanto dulcedinis fructu, mortalitatem beasset; Sed quod nihil visibile occurrebat, ipsi sibi tale finxerunt, quale cognitum habebant. Libidine homines ad generationem videbant adigi; Generationi Voluptatis sensum videbant admixtum; Voluptatem in Venuitate sive verâ, sive apparente videbant radicam; Apicem & Venuitatis & Voluptatis inveniebant in Fœmina; Inde Generationis Præsidentem ex Libidine descriperunt; Inde Fœminam finxerunt; In Fœmina & Voluptatis & Venuitatis expresserunt delicias, non tantum honestas, sed etiam meretricias.

In proposita Gemmâ Nuda est, & Pedibus infidet suis, Linteumque supra caput elevat, adstante Vasculô. Talis ex mari emeruisse, spumamque capillis expressisse dicitur. Nota est fabula. Ex resectis à Saturno Cœli genitalibus Sanguinem; Ex Sanguine, fluctuum jactatione, in spumam coagulato, Venerem dicunt progeneratam. Rationem figmenti evolvit Fulgentius; Satis concinnè, nisi quod, ad quorundam mentem, pro Cœli Virilibus, Virilia Saturni execta dixit. Ejus nos vestigia sequimur:

Virilia